CARMINA LATINA

EX RECENTIORIBUS LINGUIS CONVERTIT

ALFREDUS FAHLCRANTZ

UPSALIAE. W. SCHULTZ

CARMINA LATINA

EX RECENTIORIBUS LINGUIS CONVERTIT

ALFREDUS FAHLCRANTZ

UPSALIAE. W. SCHULTZ

UPSALIAE

TYPIS DESCRIPSIT K. W. APPELBERG

MCMVII

INDEX.

Italica: Pag.

Paulus et Francisca (Dante Alighieri) 3
Ad Italiam (V. da Filicaja) 7

Anglica:

Vitae humanae fabula (W. Shakespeare) 11
De incerta moriendi conditione (W. Shakespeare) 13
Vanitas vanitatum (W. Shakespeare) 15

Germanica:

Roma (A. W. von Schlegel) 19
In amorem (J. W. von Goethe) 34

Suethica:

Ad Noctem (C. M. Bellman) 37
In portitorem Stygium (C. M. Bellman) 38
In amorem patriae (B. Lidner) 38
In Fortunam (A. M. Lenngren) 39
In obtrectatores (C. G. af Leopold) 39
In vanam gloriam (E. Tegnér) 40
In mulieres (E. Tegnér) 40
In hiemem (E. Tegnér) 41
In constantiam (E. G. Geijer) 41
Ad se ipsum (E. G. Geijer) 42

Pag.

Elegidia (E. J. Stagnelius) 42
Narcissus (E. J. Stagnelius) 45
Daphne (E. J. Stagnelius) 46
Epigrammata ad Lauram (E. Sjöberg) 47
In vitam et mortem (E. Sjöberg) 50
Consilium Cupidinis (E. Sjöberg) 51
Hexameter (C. E. Fahlcrantz) 54
In mortem (J. O. Wallin) 54
Hymnus ad sollennem doctorum creationem in Academia Upsaliensi Anno MDCCCLXXVII celebrandam compositus (V. Rydberg) 55

ITALICA

Paulus et Francisca.

Sic ora solvi: "Cepit istos me duos
Simul vagantes ardor ingens alloqui,
Quos tam leves videntur agere flamina".
Vatesque contra: "Propius aura ut egerit,
Coram videbis; tum per ignem, qui regit
Ambos, amoris obsecra: venient tibi".
Simulatque at illos ventus admovit, statim
Has edo voces: "O malis animae obrutae,
Conferte nobis verba, nisi si quis vetat".
Veluti columbae, concitae cupidine,
Passis secantes aëra alis, fortibus,
Quod fert voluntas, nidulum dulcem petunt,
Haud aliter illi deserunt Didus gregem
Ad nosque tendunt per tumultus aëris;
Tantum ore potuit a pio vox edita.

"O molle pectus ac benignum qui geris,
Vadens per umbras aëris nos visere,
Telluris arva qui cruore tinximus:
Nobis amicus si foret mundi pater,
Pro te iuvaret fundere huic preces pias,
Infausta quod te nostra sic tangunt mala.
Audire quidquid aut loqui tibi placet,
Nos eloquemur dictaque auscultabimus,
Quoad silebunt, ut silent nunc, flamina.
Quae me creavit patria, litus adiacet,
Cuius per oras unda descendit Padi,
Ut agat quietem comitibus simul suis.
Generosa corda tam celer subire amor
Hunc in venusto corpore incendit meo,
Quod qua perierit nunc quoque urit me dolor.
Flammamque flamma suscitare amans amor
Me cepit huius haud secus cupidine
Tanta — videsne? — ut non adhuc me deserat.
Leto sed uni misit hinc ambos amor;
Qui nos necavit, hunc Caïna iam manet."

Haec sunt ab illis verba nobis edita.
Animas ut illas audii fessas malis,
Humi tenebam fixa lumina firmiter,
Donec poëta, “Dic“, ait, “quid cogitas?“
Contraque rursus fundo voces: “Hei mihi!
Qui mentis ardor quamque corda mollia
Ad luctuosam tradiderunt hos necem!“
Versusque ad ipsos inde rumpo pectore
Vocem, “Tuae“que dico, “sortis diritas,
Francisca, fletu concutit cor hoc pium.
Sed utroque vota sic fovente dulcia,
Dic, unde sivit, ex quibus signis amor
Dubios ut ignes nosceretis pectoris?“
Et illa contra: “Maior haud ullus dolor,
Quam tempora ante laeta confectum malis
Revocare mente; doctor hoc novit tuus.
Sed si cupido tanta noscere te tenet,
Quae stirps amoris fuerit huius ultima,
Simul profabor, lacrimas fundam simul.
Curis soluti legimus quodam die,

CARMINA LATINA

EX RECENTIORIBUS LINGUIS CONVERTIT

ALFREDUS FAHLCRANTZ

UPSALIAE. W. SCHULTZ

ANGLICA

Vitae humanae fabula.

Unum, crede mihi, tellus est tota theatrum,
Impositas peragunt ubi virque et femina partes;
Sors ut cuique datur, scenam intrat, deinde recedit.
Multas vita viro personas ferre dat uni;
Septem habet hos actus aetatum. Parvulus infans
Nauseat ac vagit primum nutricis in ulnis.
Flebilis inde puer, matutino ore relucens,
Cum tabula et loculis invito pectore reptat
Segniter ad ludum. Ceu furnus anhelat amator,
Triste supercilium lamentans usque puellae
Molliculis elegis. Inferna at numina miles
Ore tonans, barba squalens horrente leonis,
Acer, honoris avens, praeceps in iurgia, Marte
Gestit in ignivomo ventosam quaerere famam.
Ventre tumens iudex graditur caponeque fartus,

Austeri vultus, barbatus, qua decet arte;
Hic sermone madet sapienti exemplaque promit;
Sic peragit partes. Aetas tum sexta, figuram
In macram vetuli soleati versa, crumena
Suffixa lateri, suspendit vitrea naso
Adiumenta oculis; multos servata per annos
Bracca, decus iuvenis, fluitat per crura vieta,
Laxa modum supra; vocis sonor ille virilis
In puerilem abiit stridorem rursus acutum,
Sibilat et pipit. Sic ultima scena paratur,
Mirifico ludo quae ponit denique finem,
Altera iam rediens infantia mersaque tota
Mens tenebris; pereunt dentes, gula, lumina, cuncta.

W. Shakespeare, *As you like it, II.*

De incerta moriendi conditione.

Sis anne non sis melius, illud quaeritur;
Generosioris esse pectoris putem
Tolerare amarae tela fortunae fera
An arma capere turbinum contra globos,
Virtute finem ponere aerumnis? — Mori,
Dormire, scire dormiendo pectoris
Aestus domari milleque ista gentibus
Iniuncta fato mala, profecto fervidis
Petendus ille est precibus exitus. — Mori,
Dormire, forsan somniare — hic nodus est.
Hac nam levatis mole vitae turbidae
Quae somnus ille sit daturus somnia,
Hic haesitandum. Nulla cura certior
Angore cumulat longa vitae tempora.
Quis saeva ferret seculi ludibria

Procerumque fastus, os potestatum minax
Morasque legum, vim tyrannorum feram
Spretique amoris vulnera aut iniurias,
Mali bonorum quîs premunt modestiam,
Si posset ipse debitum rescribere
Mucrone adacto? Quis per aevi tam graves
Portaret annos onera sudans ac fremens,
Nisi anxium, post fata quid foret super,
Regionis horror irrepertae, unde haud licet
Redire, corde turbulento vinceret,
Ut sustineret sueta iam potius mala,
Quam peteret alia, nota quae nondum forent?
Sic corda frangit cuncta conscientia,
Colorque sanus fortia audentis viri
In ponderantis morbidum pallorem abit,
Et celsa virtus quidquid ausa est roboris
Sucique plenum, scrupulo hoc deflectitur
In pravum inertiaeque nomen iure habet.

W. Shakespeare, *Hamlet, III.*

Vanitas vanitatum.

I.

Superba regum tecta, turres arduae,
Augusta templa, magnus hic terrae globus
Mortaliumque tota gens in aëra
Solventur, ut si vana sint ludibria,
Nec ulla tanti signa erunt operis super.
Creamur ex quo procreantur somnia,
Ambitque vitam longus hanc brevem sopor.

II.

Aëriae turres, regum sublimia tecta,
  Templa sacrata deûm, magnus hic ipse globus
Terricolaeque velut species solventur inanes,
  Nec vestigia erunt ulla relicta super.
Nos ex materie, qua somnia, fingimur ipsi,
  Tamque brevem vitam claudit utrimque sopor.

W. Shakespeare, ***The Tempest, IV.***

GERMANICA

Roma.

Ad Annam Ludovicam Germanicam Staël von Holstein.

Vita sinu si Parthenopes tibi risit amoeno,
Nunc cineres orbis regnaque mortis adi.
Candidus affulget Latio sine nubibus aether,
Caerulei et facies ridet aperta poli,
Septem ubi fulta iugis hinc regia Roma Sabinos
Monticolas spectat, prospicit inde mare.
Tristia sed versans in pectore multa viator
Cunctanti lustrat rudera vasta gradu.
Aetatis priscae, somno sine fine sepultae,
Vivit imago memor, conscia saxa manent.
Principio rerum profugus Saturnus Olympo
His dominans terris aurea secla dedit.
Tum tua, Iane bifrons, sedes hic celsa patebat;
De te post annûm millia nomen habet.

Bellicus Arcadia pastor decedere iussus
Evander Latios deinde petivit agros.
Hesperia rediens Pallanteoque receptus
Amphitryoniades robore fudit humi
Terrificum Cacum volventem e faucibus ignes;
Usque loca informi tum riguere situ.
Postremo Phrygiae tumuerunt carbasa classis,
Cui refluas Thybris stravit amicus aquas.
Scivit enim regi profugo fatum esse feraces
Imperii cineres spargere, Troia, tuos.
Condita sed primum Lavini moenia et Albae;
Nondum hominum cuiquam cognita Roma fuit.
Tarde processit partus per lumina; Fatum
Multa parat; numquam tam gravis alter erat.
Ante necesse fuit Marti pareretque sacerdos
Indueretque animum bellua matris atrox,
Quam posset vomer circa alta Palatia sedem
Urbis Romuleae dente notare sacro.
Sed velut in cunis domuit Tirynthius angues,
Sic tenera haec annis grandia fata notat.

Bis senas aquilas dextra tibi, Romule, visas
  Postmodo circum orbem vivida penna tulit;
Haud per vim; mortis sed maior Roma timore
  Consuluit vitae, iura severa colens.
Sanctos instituit patres pater ipse Quirinus,
  Praedonum socius perfugiique dator.
Egeriae coniux sollerti pectore cuncta
  Purgavit sacra relligione Numa.
Contenti casulis cives opera alta futuris
  Struxerunt iunctis viribus, arte nova.
Quadrato e saxo Tuscam ad normamque reciso,
  Ponderibus molem mole tenente suis,
Surrexit murus, sunt ductae infraque cavernae,
  Tarpeii est rupes aggere cincta Iovis.
Forma erat instabilis rerum, sed moenia restant,
  Ancus quae posuit Tarquiniusque ferox.
Mox Deciorum animi veniunt Brutique securis.
  Agro arcessiti saepe focoque duces
Apparent, servant, vincunt perimuntque domantve,
  Tum repetunt placidi tecta boumque iugum.

Dura senum multo sudabant membra labore,
Sub canis rugae gloria frontis erant.
Dilexit veteres hominum sator atque deûm rex,
Namque in iis sancti numinis instar erat.
Casibus oppressos numquam spes alma reliquit,
Relligio solvit celsa timore pios.
Quemque periclum acuit; pro cunctis fata subire
Officium simplex rustica corda putant.
Pro virtute animi laudatus acumine Graeco
Luxus Fabricium, non fera terret atrox.
Roma, graves retine mores! Post bella ferocis
Veientis venient tempora dura magis.
Haud mora, continuum victrix agis alta triumphum,
Et superata oculi vix numerare valent.
Parta tibi famae messis; tibi fenerat Afer;
Vicit Alexander, Liber ut ipse, tibi.
Ius populis dicens, reges terrensque potentes,
Aequam si libram iusta tenere velis,
Splendida sis orbis dominatrix numine divûm;
Fortunae invidiam sed male digna facis.

Nil nocet infensus Samnis, nil Gallus et Afer;
  Per se Roma cadet: sic tua fata iubent.
Ferrum qui tempsit, deflectat lumen ab auro;
  Ecce, necem visu ceu basiliscus habet.
Credis habendi artem te nosse, oblitus egere?
  Aut dominare tibi aut undique vincla subi.
Non satianda libido ardet, vectumque per aequor
  Insano pretio stat furiale nefas.
Venalis patria est: fulvo tibi, Crasse, metallo;
  Ambitio regnum, munera vulgus avet.
Nomine Scauri estis Fabiique; sed alta rubentes
  Maiorum effigies atria vestra vident.
Degeneres natos educit degener aetas.
  Oppositas frangit pestis acerba moras.
Omnia tacta malo: libertas saeva libido,
  Ius laqueus fallax fit, pietasque dolus.
Quae praecepta dedit priscorum candida virtus,
  Aeri insculpta tamen delet avara dies.
Quid maneat, si libertas cadit inclyta Romae?
  Ah, nihil in terris non sua fata trahunt.

Rebus at in miseris mansit mens nescia vinci:
  Quum fureret discors Romula turba sibi,
Nil stetit indomitum nisi fortia corda Catonis;
  Dempta est libertas, at docuere mori.
Naufragio ex morum constantia restitit una;
  Nusquam te, Zeno, gens ita digna fuit.
Ardet adhuc animus studio generosus agendi,
  Ingens edere opus nobile pectus avet.
Mira haec secla volunt, non admiranda videri.
  Maiestas cedens mentibus alta virûm
In circumque forumque fugit celsumque theatrum,
  Artis in Argolicae quodque celebris opus.
Marmoreis surgunt miraclis culmina densis;
  Vivida signa ferunt, gens superata, iugum.
Namque urbs una tenet terrarum insignia clara:
  Docta quae finxit Graecus amoena manu,
Quae sensu abstruso sancti gravis accola Nili;
  Saxea pro templis sphinxque leoque iacent.
Aethiopum e saxis obeliscus deque Syene
  Rege Sesostre olim tendere iussus iter

Nare freto didicit, pro Nilo visere Thybrin
    Ac simili radio sidus adire novum.
Nequidquam loquitur signis nunc abdita sacris,
    Prudenti at pandit credita multa sibi:
Annorum cursum, priscorum sensa virorum,
    Regnorum interitus, quam sit homoque nihil.
Hoc nihil inflat in immensum tamen atra libido.
    Quid sinit intactum regius esse furor?
Servitio Romam qui foedavere tyranni,
    Turpe retexerunt funditus omne nefas.
Tartareae proli spirant altaria ture,
    Vana fera donec numina caede ruunt.
Effrenus populus lanians sibi viscera ferrum
    Exacuit foedis moribus ipse suis.
Continuos soles fovet amphitheatra rotunda
    Confertusque sedens sidera summa ferit.
Murice tincta supra fluitant fragrantia vela,
    Ne sol exurat mollia membra nocens.
Infra, dira oculis oblectamenta cruentis,
    Saevit atrox gemitus morsque gravisque furor.

Rex invita leo pugnans spectacula praebet;
Vilior hoc servi proelia servus init.
Exhausta est Libye monstris iam fervida, lynce,
Tigride, hyaena atra; saucius, orbus opis,
Gestibus ipse elephas implorat mitia corda,
Irruere ante acies suetus in Italicas.
O grave ludibrium! Se spectat nescia turba;
Non iam pro patria pro tumulisque patrum
Gestave pro sociis, domini sed nutibus orta,
Sunt versa in ludum fortia bella trucem.
Ceu gladiatores, quos commisere magistri,
Sic confert legio cum legione manus.
Imperium vendit praetoria turba volenti,
Ob nova vincla emptus funditur usque cruor.
Qui quondam intrepidi funesto Marte premebant
Longinquas gentes silvicolasque rudes,
Excipit ut latitans animal venator in antro,
Nunc sibi diffisos moenia firma tegunt.
Parthica quadrupedum celerata sagitta volatu
Haud ficta pellit saepe phalanga fuga.

Cornipedumque lupus sequitur vestigia raptor
  Afflatoque ululat caedis odore ferox.
Urus ab Hercynia silva, qui saepe petitus
  Cornibus infestis vulnera multa dedit,
Prosilit hic tandem, perfringit retia vana
  Sedeque in hostili bella tremenda ciet.
Non cicur atque aptus vinci, ceu bestia circi,
  Ut patria ipse ferus poscit in arma viros.
Teutonicum rursus demittitur Alpibus agmen,
  Sed nusquam est Marius; monstrat at umbra, volans
Agmine in extremo, gestu vepallida Vari
  Tesqua borei orbis tristia clade sua.
Roma cadet, sic di statuerunt cuncta regentes,
  Germanusque ensis iussa patrabit atrox.
Vim procul ostentat, spernit facilem Attila praedam;
  Foedera Germanus, Roma tributa dedit.
Vandalicas Tiberi classes urbs Punica mittit;
  Tantum est fortunae iam rota versa levis.
Exscidium spectans dirum quae Scipio victor,
  Quum nocte horribili flamma creparet edax

Ferrenturque polo gemitus laetusque tumultus,
  Iliade ex magna vaticinatus erat:
"Tempus erit, quum sancta ruat de culmine Troia,
  Martius et Priamus Priamidaeque cadant",
Nunc haec eveniunt; vix tollit victa ruinis
  Regina, heu, rerum corde pavente caput.
Pallada Roma hasta referens clipeoque sororem
  Moreque Amazonio cincta ferensque gradum,
Quae galeae crista nutus dedit ante Tonantis,
  Maesta, incompta super fracta tropaea sedet.
Horrifica multas post noctes clade repletas
  Exhaustae tandem venit amica quies.
Haec tenera vastos colles circumvolat aura,
  Quos tumulis apto caespite Terra tegit.
Considant placide, quae nunc quoque adesa supersunt;
  Dura columna diu tignaque fracta labant.
Hic Via Sacra fuit; porta quam saepe Capena
  Laurigeram pompam vexit et agmen ovans,
Armatos populumque, duces vinctosque tyrannos,
  Quadriiugos niveos attonitosque sono,

Votivos donec, sibi debita munera, honores
  Abdidit aurata Iupiter ipse domo!
Semita nunc neglecta viris, qua portat in urbem
  Ruris opes dominum segnis asellus alens.
Ecce Palatium, habent cuncta unde palatia nomen;
  Unius hic, uno sceptra gerente, domus
Romuleam Romam tenuit veteresque penates
  Detrusit, domino non tamen ampla satis.
Rudera, dic, miraris adhuc hederaque revincta
  Tectaque virgultis pampineaque coma?
Balnea pulchra super proles nunc rustica ludit;
  Dura cavis cellis arma colonus habet.
"Carpite", sic cecinit divino corde Sibylla,
  Dardanio pandens fata superba duci,
"Carpite nunc, tauri, de septem montibus herbas,
  Dum licet: hic magnae iam locus urbis erit."
Nunc licet, ecce, iterum; volventia secula in orbem
  Iam referunt, rerum qui status ante fuit.
Velabro placidam capiunt armenta quietem,
  Mugituque boum consonat omne forum.

Aspice gramineo carpentes pabula clivo;
  Quam nihil, en, Caci tecta dolosa pavent!
Cornibus aëriis armenta et corpore vasto
  Nunc quoque conspiciens Geryonea putes.
Ah, quanto illa viris praestant! Istine Quirites?
  Militiae durae fortis equique rudes?
Se velut illudat, Campum degressa in apricum,
  Itque reditque vagans, pallida turba virûm,
Quodcumque evenit, cessans, ignava caterva,
  Antiquae aetatis dona suaeque petens.
Virgineo segnes nisi rore Agrippa rigaret,
  Aërias liquido fonte secante vias,
Languerent acri sitientis sideris aestu
  Aut tepidam biberent usque paludis aquam.
Fragmina si veterum decorant nunc templa novata,
  Si pro sancta ara se stupet urna coli,
Si iam sumpsistis Libycas Phrygiasque columnas,
  Sumite de priscis fortia corda simul!
Quid precor? Arentes vidi haud secus Apenninas
  Quercus, quas hederae Bacchica virga sequax

Ambiit, arboreas umbras mentita comasque,
    At numquam alta subit brachia sucus alens.
Sic ludens cumulat Natura hic praemia grata,
    Mollia sed valido corda vigore carent.
Aemula nil cedens antiquis Ars fuit una,
    Quum tenebris caecae noctis operta diu
Surgeret alma Charis; praeclara non modo tellus
    Effigie, sed item fertile pectus erat.
Santio amor fuerat, mens huic divina magistra,
    Ausus qui templi ferre sub astra tholum.
Nunc periit, durum, flos laetus, Roma potestque
    Quolibet in studio dicere maesta: Fui.
Nil veluti speret, torpens elabitur hora;
    Tortum Ocno funem semper asellus edit.
Ipsa patris Iani mutilata apparet imago:
    Prospiciens facies spem iubet esse procul
Laetificam, foedis, confusis vultibus atra;
    Aversa infandus contrahit ora dolor.
Quae nunc augurium praepes det? Quaeve Sibylla
    Nequitiae tantae fata futura canat?

An senuit mundus, dum nosque insomnia ludunt,
Lethaeum in cinerem maximus orbis abit?
Haud locus indignus, rerum quo mente quieta
Finem exspectares, Roma vetusta foret.

Haec ego sub Cesti monumento carmina fudi,
Involvente umbra densa sepulcra vaga.
Tegmine velabant nigrante crepuscula campos,
Iamque tenebat agros alta, verenda quies.
Lene procul solum crepitabat maesta cupressus,
Motabat pinus, visa dolere, caput;
Cunctaque solliciti cessabat turba laboris,
Spirabat toto vix levis aura loco.
Horrebam, visus dempta vestigia luce
Figere in umbrarum mox peritura domo.
O quam triste, cadens almi quum luminis auctor
Res spoliat formis atque colore suo!
Pallida cuncta monent, ut sint humana caduca,
Nec mens ulterius tendere vota valet.

Sidera nulla micant, velut interiectaque vitae
  Atque aevi spatiis otia mundus agit.
At quum Nox oculis despectat sancta benignis,
  Tum recidivum animus se fore fidit ovans.
Sic, generosa comes, laetus tua lumina vidi
  Et geminum sidus flammiferasque faces.
His sincera fides lucet divinus et ardor,
  Qui lacrimis fulgens pectora maesta levat.
Cui tu fida comes, fractus non ille iacebit,
  Mollia corda licet rideat impietas.
Subtili ingenio nosti pulchrumque bonumque,
  Augusta misces tu gravitate decus.
Arte tenes varia vatem, superasque sagaci,
  Quod populos dirimit, mente, superba, tua.
Aure bibam cupida tua dicta gravissima, quaeso,
  Ore fluit quando docta loquela sacro.
Tum veteres nobis homines memorentur et illi,
  Qui nunc sunt, fatum quos rapuitve recens.
Si iustosque viros inter verique petentes
  Lucida conspicitur dulcis imago patris,

Erranti facilis, sibi inexorabilis usque —
    Tamquam hominum genius visa volare bonus —
Laus vigeat memor exstincti, quem non ego noram,
    Ah, quem tu fletu tempus in omne colis.

A. W. v. Schlegel.

In amorem.

Gaudia blanda animo, saevos agitare dolores,
    Pectoris ardores ferre quatique metu,
Laetitia super astra rapi, maerore perire,
    Soli, quisquis amat, tanta dedere dei.

J. W. v. Goethe, *Egmont*, *III*.

SUETHICA

Ad Noctem.

Tandem venito, Nox bona; fervidas
Flammas diei reprime; fac, polo
  Contendat ardori cadentis
    Purpureo tua stella solis.

Undas tepentes frigore tempera
Aulaeaque obduc luminibus sua;
  Leni dolores igneique
    Sanguinis opprime dulcis aestus.

C. M. Bellman.

In portitorem Stygium.

Ut vada nigra albent spumis! Ut portitor ardet!
Remigat ut luctans! Ex barba quos premit imbres!
Ipse ferit remis undam, ferit undaque contra;
Evomit axis aquas, reboatque fragoribus aether.

C. M. Bellman.

In amorem patriae.

Dulcis fonticuli est per florea prata susurrus,
  Splendidus est almi solis ab axe nitor;
Splendidius multo multoque est dulcius illis
  Cara pro patria mortis adire viam.

B. Lidner.

In Fortunam.

Ardua per clivi, Fortunae templa tenentis,
Aspice, nituntur quamvis aetate gravati.
Quae tua dona igitur, sine fine ambita puella?
Frigens sub phaleris intus cor, purpura, pallor.

A. M. Lenngren.

In obtrectatores.

Turba poëtarum, iuvenilia corda, recentum
  Carpere, sic fama est, carmina nostra solet.
Carpere, rem facilem, contra fors ipse valerem;
  Durius istorum est carmina perlegere.

C. G. af Leopold.

In vanam gloriam.

Laus sua cuique manet, noli iactare paternam;
 Tendere si nequeas, non tuus arcus erit.

E. Tegnér.

In mulieres.

Stultitiae nequeo veniam concedere amici;
 Quid? Muliercula erit flenda, gemenda viro?
Hei mihi! Femellis tellus est tota repleta;
 Amittas unam: sunt tibi mille super.

E. Tegnér.

In hiemem.

Sternit, io! campos niveo velamine bruma,
Ipse haeret dominus, vix sua rura putans.
Sidereo igne nives fulgent flammisque diurnis;
Litore agunt somnos frigore vincta freta.

E. Tegnér.

In constantiam.

Servit, cuius agit pectus scelerata libido,
Nulla licet circum crura catena crepet.
Hoc virtutis opus: peragit nil fracta labores,
Simpliciter, tacite tempora ferre tenax.
Una est terricolis sapientia: mente subire
Forti, vis fati quae vel iniqua tulit.
Hanc nisi possideas habitantem pectore in ipso,
Orbe pererrato non tamen invenias.

E. G. Geijer.

Ad se ipsum.

Immensi pelagi committit navita campis,
Haud comitante ullo, se fragilemque ratem.
Sidereus supra resplendet olympus, at infra
Aestuat ira freti, funera dira minans.
Tendere iter porro fatorum immota iubet lex,
Atque habitat ponto, ceu super astra, Deus.

E. G. Geijer.

Elegidia.

V.

Annus praeteriit roseus, solvitque flagrantes
Austrum iam propius luminis auctor equos.
Serius exstinguis tremulam nunc lampada, Luna;
Vertice nocturno serius astra cadunt.

Venti rauca sonant: instant frigusque nivesque;
Triste gemens platanus concutit usque comas.
Voce nec in silvis queritur Philomela canora,
Nec violae fragrat vallis odore virens.
Natura, alma parens, ubi iam decor atque venustas?
Spicea non cingunt serta rosaeque caput.
Cessant, ah! blandae, spirantes molliter aurae,
Nec seris errantis flore benigna viam.
Pallentes artus resoluta sopore quiescis;
Tristibus e tesquis lumina tollo polo.
Clarior, aestatis quam fulsit noctibus almae,
Aethera nunc lustrat Cynthia luce vaga.
Caeruleo ardentes stellae densentur olympo
In sedesque vocant, quas colit alta quies.
O, animi quando solventur vincula fessi?
Mens quando felix, laeta, soluta iugo,
Purpureis alis habitata piis loca viset,
Quae crepitant palmis clarisonaque lyra?
Aestas, heu! fugit, quibus et tristes mihi vitae
Distinxi campos, interiere rosae!

Pectora permulcent nemorum nec dulcia flabra
Nec volucrum cantus nec maris unda sonans.
Sed mihi parta quies; stellis Spes cincta serenis
Fati iam tenebras luce nitente fugat.

XIV.

Stat tua celsa, potens Fatum, super aethera sedes,
Ducere tu choreas sidera magna iubes.
Mundos aedificas, mundos tu destruis, at non
Terra tibi paret; Fors ea regna tenet.
Pulvere velatae tristi deserta per ampla
Errant hic animae, stirps generosa Dei.
Quaerunt, ah! frustra fugientem lumina finem,
Quum patrias sedes deseruere semel.
Diffugiunt meliora magis, peioraque serpunt;
Parcit hiems spinis, at rosa pulchra perit.
Aurea amantum spes! Sapientum abscondita sensa!
Flamma vigens vatum! Quo tenuistis iter?
Tempora vincendi non est data copia vobis;
Arguitis Fatum? Fors inimica magis.

E. J. Stagnelius.

Narcissus.

Ut sitis ardorem Narcissus pelleret undis,
Fontis adit vitreas lene fluentis aquas.
Ecce, suae lympha faciei conspicit umbram,
Nec mora, mirifico captus amore flagrat.
Laetitia pulsa, vitae florentibus annis,
Pectore turbato, fletibus ora rigans,
Ad speculum fontis suspirans usque iacebat,
Ultima iamque illi stamina Parca trahit.
Non decus hic lauri, coetum non norat amicum,
Suaviolum flenti nulla puella dabat.
Heu miserum, quisquis divini conscius ortus
Summa petit! Terris non leget ille rosas.

E. J. Stagnelius.

Daphne.

Tu quoque, Phoebe, faces sensisti pectore frustra,
Quum te Peneis torruit igne fugax.
Nil opis in cithara, pendet quae grata lacertis,
Aurata ex humeris vana pharetra nitet.
Ceu fugit accipitrem trepidanti corde columba,
Sic fugit amplexus territa nympha tuos.
Reddita iam fuerat, miserum! pro virgine laurus,
Flexis quum ramis damnat et ipsa fugam.
Haeres ut maestus viridante sub arbore! Cordis
Vulnera nil capiti fixa corona levat.
Stat sors ista tuis pariter; quaesita per orbem
Vatibus in laurum vertitur alma Charis.

E. J. Stagnelius.

Epigrammata ad Lauram.

I.

Sedit Amor coelo, Laurae nam sedit ocello,
  Experto et telo cor ferit ille meum.
Ridentem prendo, multumque precantis ab ala
  Pennam vi nitidam dextera nostra rapit.
Hanc ego purpureo scripturus sanguine tingo,
  Aurea quem elicuit corde sagitta meo.

II.

Portubus obtectus contemnas fata duobus;
  His: busti tumulo brachiolisque tuae.

III.

Leucate miseri quondam memorantur amantes
  Exstincturi ignes desiluisse fretis.
Pectoris ardori nostri non sufficit aequor;
  Hic citius flammis ureret oceanum.

IV.

Felices flores, decorat quîs pectora Laura,
Unde novercales nomen habetis atrox?
Natura, alma parens, nullis plus favit alumnis;
Non est in toto gratior orbe locus.

V.

Divinam faciem! Sed tu tamen esse recusem;
Ah, non te possem tum retinere sinu.

VI.

Immensum an coelum? Minime; coelum omne lacert
Te simul amplector, metior, alma, meis.

VII.

Millia te flagrant: esto. Sed millibus istis
Te, quamvis unum, cor magis hocce flagrat.

VIII.

Prata peragrantem Lauram, quaecumque recenti
Lilia vere nitent, flamine mota colunt.
Coelestem florem terrae venerantur alumni;
Exspirare dea iure legente iuvat.

IX.

Non gaudere rosam nivibus quis nescit amoenam?
Non hiemis patitur tristia molle genus.
Dic tamen, ostentum quod vidi lumine saepe,
Per tua cur media floreat ora nive.

X.

Si tua grata meum decoraret imago libellum,
Emptorum certe plus reperiret opus.

XI.

Brachiolis simulac fovit me Laura venustis,
Aeternae vitae conditus orbe fui.

XII.

Non miror, speculo faciem si saepe tueris:
Nostra foret; semper redderet ora vitrum.

XIII.

Audaci quoties pulchram te carmine dico,
Si rubeas, nihil est; pulchrior inde venis.

XIV.

Mollia ne spernas mea carmina, gratius oris
Ut laudent nitidi fonsque vitrumque decus.

E. Sjöberg.

In vitam et mortem.

Arta sepulcra tenent quot millia, libera cuncta!
Liberum at haud unum maximus orbis habet.

E. Sjöberg.

Consilium Cupidinis.

Mente nil movens sedebam,
Redditos meique vultus
Ex mero tuebar oris,
Candidum genuque Amorem
Sublevans ego osculabar.
Ut levem magis puellum
Quam deos colo universos,
Sic favet mihi ille contra.
Nam simul cupivit auceps
Fallere alites dolosus,
Matris advoco columbas
Hac lyra, silente avena.
Comiter tuens Cupido
More me virûm bibentem

Vina risit et gemella est
Sic rosa locutus oris:
"Pessime bibis, poëta;
Scisne, coelitum ut parenti
Suave nectar hauriatur?
Non deum putas tenere,
Quae beata sit voluptas?
Phryx ibi puer venustus
Blanda vel genas Iuventas
Poculum aureum ministrat.
Ac deus tuens decentem —
Venit ille seu puella —
Mente fluctuat vaganti.
Nam videt scyphum nitentem,
Tum videt labella, et ipsa
Rore nectaris rigata,
Quid prius bibatque nescit.
Reque deinde cogitata
Dulce ridet et benigna
Solvit ora sic loquela:

'Tu prior bibas, memento,
Quo scias, satisne dignum
Sit deum satore nectar.'
Spectat inde diligenter,
Osculata ubi superbum
Blanda marginem labella;
Tum sua applicans eodem
Labra, dulciter remixtas
Haurit ore suavitates
Osculique nectarisque."

E. Sjöberg.

Hexameter.

Sic sonat hexameter, versus mutabilis usque,
Sic quoque, si digitis simul omnibus insilit idem.
Rursus ubi parce res sunt arteque tuendae,
Segni prorepit gressu, ligno soleatus.

C. E. Fahlcrantz.

In mortem.

Cedent terrae curae
Paci duraturae.
Cuncta mors placabit,
Coeli lux clarabit.

J. O. Wallin.

Hymnus

ad sollennem doctorum creationem in Academia Upsaliensi Anno MDCCCLXXVII celebrandam compositus.

Nocte involutis temporibus nigra
Finem requirens usque reconditum,
  Horrente deserto per aevi
    Secula, gens hominum, penetras.

Arto relucet limite pallidum
Solis maligni et languidulum iubar;
  Sunt pone nocturnae tenebrae,
    Ante quod est, nebula tenetur.

Vastisque in oris, qua peragis viam,
Fessae catervae deficiunt malis,
Quaerisque pectus contremiscens:
"Quo rapis, Omnipotens, euntem?"

Quaecumque terrae sedibus aspicis,
Cuncta esse leto subdita senties,
Coeloque si lumen levaris,
Quid speculans acies videbit?

Rumpique cursus solibus igneos
Mundosque mersos in nihilum rapi
Ac siderum exstingui catervas,
Aetheris in barathrum voratas.

Voces ad aures undique clamitant:
"Quodcumque natum est, occidet, occidet,
Et temporis quidquid locique est,
Horridus est sine fine carcer."

* * *

At si vacillans haesitansque succidas
Maestisque curis immorans cesses via,
Positum resumes inde signum ac per fera
Deserta pergens pectore invicto feres.
Quid, si per oras aetheris lumen vagans
Soles videbit mille deverri polo?
Quid, si volucris falce demetit dies
Messes nitentes siderum, segetem auream?
Quae vera sentis, quae colis flagrans bona,
Quae pulchra fingis, nulla vastabit dies.
Erepta messis haec manebit tempori;
Magno creata vivet aeternum deo.
Mortalis, eia! perge, gens, animo bono!
Nam corde vitam proprio aeternam geris.

* * *

Cui desiderio pectora fervido
Veri torret amor, torret amor boni,
Aeternae fovet hic corde reconditum
Vitae pignus in intimo.

Divinam proprii si studii immemor
Seclis, quotquot eunt, effigiem excolas,
Sint deserta licet vasta, tamen semel
Iordanem venies tuum.

* * *

Theologia.

(Exod. 17. Cor. I. 10, 4.)

An promissa tibi dubitas procul arva manere?
Ardenti sitiens, exspes procumbis arena?
Ecce, ciet virga lymphas ex rupe Moyses!
Perge age, gens hominum, nova proles Abramidarum!
Virga tibi salva est, aperit quae sacra fluenta;
Rupes — o mirum! — gressus comitatur euntis.
Proiice te supplex ad aquas! Ut recreat alma
Mirificis ad iter coeptum te viribus unda!

Iurisprudentia.

(Exod. 19.)

Ut volitant actae ferventi turbine arenae,
Agmina sic gentis fluitant vadentis ab Horeb.
Illane Iordanem tangat sine lege caterva?
Ecce, polo surgens erumpit fulgura Sina!
Legifero montes reboant vallesque fragori,
Pectoribusque virûm stupefactis redditur: amen!
Turba coit fluitans, ortoque interprete iuris
Grande fit imperium, cultrix gens fida sacrorum.

Medicina.

(Num. 21, 6.)

Pergit iter concors, legis sacraria cingens,
Iordanemque petit populus per tela, per enses.
Cur vexilla cadunt? Cur pallent agmina dura?
Pestiferae furtim serpunt per castra colubrae.

Ecqua salus dabitur? Dabitur. Signum ecce Parentis
Ecce, nitet baculo serpens innexa prophetae!
Hique salutifero ceu signo ivere refecti,
Iussum iter intendant sic sana, valentia secla!

Philosophia.

(Exod. 13, 21. Deut. 34.)

Tendant, quo iussum, pulchra et sapientia secla!
Verum iter ut noscent per noctem et inania visa?
Ecce, viam monstrat mersam caligine flamma:
Fax mentis populis nocturnis lucet in oris;
Ecce, dierum aestu dux est de nube columna:
Nube volant altae species, est Numen in illa.
Insonat attonitus Nebonis vertice vates:
"En Solymam, Solymam! Patrias contendite ad arces

V. Rydberg.